LILIUM

POËMA ISLANDICUM

QUOD AD MATREM DEI CELEBRANDAM

CECINIT

EYSTEINN ÁSGRÍMSSON

CANONICUS REGULARIS.

A. D. 1350.

ET QUOD IN SACRIS DOMESTICIS 500 ABHINC ANNIS SUB AUCTORITATE REVERENDISSIMI ARCHIEPISCOPI NIDROSIENSIS EPISCOPORUMQUE EJUS SUFFRAGANEORUM ADHIBERE SOLEBANT INCOLAE ISLANDIAE.

AD SPECIALEM USUM SANCTAE SEDIS DENUO LATINE TRANSLATUM, ET SUB APPROBATIONE REVERENDISSIMAE PRAEFECTURAE APOSTOLICAE POLI ARCTICI HOC ANNO HAVNIAE IMPRESSUM, NEC NON IN USUM CLERICORUM AUSTRIAE ET GERMANIAE AUSPICIIS AUCTORITATIS ECCLESIASTICAE ITERUM LATINE EDITUM.

VINDOBONAE, MDCCCLIX.
SUMTIBUS FRANCISCI ROSPINI.
BIBLIOPOLA, WEIHBURGGASSE Nr. 906.

Poëma hocce, titulo lilii insignitum, compositum est in honorem eius, quam sanctus spiritus (ev. S. Lucae) dicit ab omnibus generationibus vocandam esse Beatam. Non dubium est, quin mirum in modum delectaturum sit quum omnes literarum historiarumque studio deditos, tum praecipue eos, qui incrementa ecclesiae catholicae, salutem humani generis tam intime tangentia, piis gratisque animis prosequuntur.

Quantum ad rem literariam spectat, »Lilium« certe inter praecipua maximeque admiranda medii aevi opera numerari debet, quod etiam ex antiquo illo Islandorum patet, „omnes poëtae Lilium composuisse voluerunt." Si fervorem et devotionem vere christianam, quam spirat poëma, respicimus hymnos S. Bernardi et hexaëmeron S. Basilii Magni non solum assecutum esse, ut par iis dici possit, sed etiam passim superasse videtur. Qui hos duos auctores satis versarunt, veramque indolem christianitatis penitus intelligunt, iis certe non mirum erit, poëtam nostrum triginta „strophas" vel amplius introductioni assignavisse, antequam de S. S. Virgine ipsa agere incipiat. In hoc Deum

disum imitatur, qui multis saeculis usus est in mundo praeparando ut Virginem immaculatam et per eam Verbum suum incarnatum in terras reciperet. Translatio nostra tam accurate et fideliter facta est, quam eam facere permitteret diversa indoles discrepansque character utriusque linguae. Ut vere intelligamus et sentiamus, quam pulchre hic expressae sint enunciationes complures, quarum vis etiam quodammodo memoriam Dantis archipoëtae revocat, semper ante oculos habendus est animus ille vere catholicus, quo agitatur auctor, v. b. ubi exclamat (Str. IX.) Caecum invenit ibi (in inferno) patrem suum, diabolum, immensa violentia quem cruciat igne *).

---

*) Hoc loco ad rem erit paucis verbis de consuetudine satis nota protestantismi disserere, adversarios suos inculpandi propter errores, qui ipsis multo magis in culpam dari possunt. Translator quidam Luthericus huius poëmatis, Paulus Hallerus, Islandus, quamvis in hoc pium et nativum poëma islandicum deos paganos Graeciae, quorum nulla in originali mentio fit, introduxerit, tamen auctorem „Lilii" superstitionis accusat propter laudatam Sanctam Deiparam. Sane, ut dicit cel. Dr. Faber, scriptor his temporibus existens et in Anglia et statibus unitis Americae septentrionalis satis notus (antea quidem minister Sacrorum protestans, dein una cum centum forte commilitonibus Oxfordianis ad Catholicismum conversus) non minus absurdum est perhibere, humano cultu B. Matris immaculatae divinum cultum Filii Jesu Christi impediri, quam existimare, amore

Quod ad historiam attinet, admirandum est poëma nostrum ut specimen expolitionis, quam medio jam aevo Islandia assequuta est, quam expolitionem dolendum est semper decrevisse ex quo haec terra, medio saeculo decimo sexto, gremio ecclesiae vi doloque erepta fuit. Nihilominus tamen multa populus conservavit et adhuc retinet, quae memoriam temporum catholicorum revocant, et in Islandia vere quadrant verba S. Augustini, quae constantiam doctrinae Ecclesiae tam bene exprimunt: „qui ex haereticis parentibus nati quaerunt cautâ sollici

---

erga proximum amorem Dei praegravari; tantum enim abest, ut alterum alteri obstet, ut multo magis alterum altero niti putandum sit. Et ut exemplo probemus, errores, quos commisere translatores protestantici, solummodo aut ignorantia catholicismi, aut mala fide satis evidente explicari debere, hoc unum exemplum adferemus, quod celeberrimus ille E. C. Werlauff, historiarum professor Havniensis, in translatione itinerarii islandici XIImo saeculo conscripti, latine dicit: Romam quinque possidere cathedras Episcopales, etsi originalis textus de quinque solum „ecclesiis principalibus" loquatur, quo vocabulo „Basilicae" intelliguntur. Coronidis etiam loco hoc addimus testimonium animi quo protestantismus agitatur, quod, dum in seminariis ecclesiae catholicae omnes objectiones Arii, Pelagii, Lutheri, Calvini aliorumque inimicorum ecclesiae penitus cognoscuntur, Dani v. c. in seminarium Reykjavicense Islandiae libros solum exigui momenti et ad animum fingendum minime aptos Danicos aut Germanicos introduxerint, opera theologica graviora Germaniae, Angliae, Franciae etc. omittentes.

tudine veritatem, corrigi parati dum invenerint, non sunt inter haereticos deputandi.“ Quod si catholicus cultus aliter ac hodie, quum Islandis non notus est nisi per iniquas et erroneas fanaticorum quorundam Danorum lutheranorum travestationes *), iis expositus fuisset talis, qualis vere est et reapse, nullum dubium esset, quin populus Islandiae ultro, fervidissimoque studio ad cultum ecclesiae Romanae, in traditionibus eorum popularibus adhuc vigentem, rediret.

Si rem solummodo spectamus quantum ad religionem attinet, multum est in poëmate nostro, quod etiam hodie permagni momenti et summa attentione dignum esse videatur, tum propter progressus quos semper facit cultus catholicus *), tum propter dissolutionem, quae protestantismo in dies magis magisque imminet, cuius asseclae et excellentissimi quidem saepe oculos in traditiones historicas antiquarum ecclesiarum Islandiae convertunt. Protestantes, qui, potestatem ecclesiasticam cum saeculari potestate commiscentes non

*) Vide librum Havniae publicatum, inscriptumque ‚Den rette evangeliske Laere, beviizt ved den hellige Skrifts tydelige og ufeilbare Ord. (vera doctrina evangelica, probata verbis evidentibus et infallibilibus S. Scripturae) Havniae et Christianiae, 1858.

*) Vide libellum Havniae publicatum inscriptumque „den christelige Kirkes Tilstand i det 19. Aarhundrede“ (Conditio ecclesiae christianae in saeculo XIXno.)

minus ac pagani, quin fortasse etiam magis, vitae interioris et verae genuinaeque virtutis sunt obliti, ex hoc „Lilio“ discere possunt, illam oblivionem eo factam quod Sanctae Deiparae justos suos honores negant, illi, quae non celebritatem petiit e rebus gestis late splendentibus, sed exemplum dedit purae simplicisque virtutis domesticae, praecipuae in oculis Dei. Hoc poëma legentes, reputent imaginem S. Virginis exstare in catacumbis prope sepulcra eorum martyrum, qui maluerunt sanguinem suum effundere quam minimum quidem actum idololatriae committere et qui ita cultui B. Virginis suum pretium melius tribuerunt quam illi, qui Joannem Aronis, ultimum episcopum catholicum Islandiae capite truncarunt.

Recentissimis temporibus in parte Helvetiae protestantismo dedita, quum, non obstante invidia ob incrementa catholicismi, ecclesia cathedralis catholica in urbe ipsa Calvini aedificata esset, statim publice declaratum est a protestantibus, festum Annunciationis B. Virginis adhuc semper esse celebrandum, scilicet quod veneratio B. Virginis pulcherrima et gravissima esset incitatio ad reverentiam feminis debitam digne exhibendam. Quatuor abhinc annis vir quidam Protestantismo adhaerens, lectis ephemeridibus Borussicis, aegre ferentibus, Protestantes non prius quam Catholicos immaculatam B. Virginis conceptionem, tam congruam antiquis liturgiis et divinitati Christi, agno-

visse et celebrasse, exclamavit: hoc certo est verum, vellemque Catholicus fieri saltem ut iis generationibus adnumerer, a quibus, ut dicit S. Scriptura, beata salutanda est virgo Maria. Et hodie quidem festum conceptionis beatae virginis in calendario Islandico recepto diei, VI. id. Decembr. annotatum legitur, unde satis patet, Islandos aeque ac incolas terrarum hodie sub Catholicismo existentium credidisse in immaculatam conceptionem Eius, quae plena est gratiae*). Etenim quum, celebrando nativitatem B. Marie aeque ac nativ. Jesu et S. Joannis, declaramus eam esse natam absque peccato, agnoscendum est, conceptam quoque sine peccato, i. e. immaculate conceptam esse Mariam, cuius conceptio aeque ac conceptio Jesu ipsius celebrabatur. Caeterum Theologia non mi-

*) Adhuc etiam in Norvegia apud rusticos, qui certe omnia festa principalium sanctorum, quamquam in ecclesia lutherana non celebrantur, tamen tenaci memoria conservarunt et rudibus illis calendariis ligneis, quibus non multis abhinc annis utebantur, et quae forte in remotis convallibus etiam hodie haud plane ignota sunt, insculpebant, saltem ad dies mensesque computandos, dies quintus ante festum S. Luciae (i. e. ille ipse dies octavus mensis Decembris) „Vor Fruis Ventedor" appellatur, quod verbotenus significat „tempus unde B. Virgo exspectari coepit", i. e. tempus quo concepta est. Dies proxime sequens Annae matri Mariae assignatur; anno jam 1436 festum S. Annae Matris Mariae huc translatum fuit ab a. d. VII. Kal. August.

nus quam deductio logica omnium dogmatum ultimam exhibet evidentiam cultu Jesu cultum Mariae necessario esse contentam; quare Christianismus, qui reverentiam debitam dei Matri obstare religioni erga Deum ipsum asserit, non potest esse nisi angustus et nimis arctis limitibus circumscriptus.

Adoratio in spiritu et veritate divinitatis invisibilis, ait Leibnitius, est summa totius religionis. Adventus huius veritatis in mundum est revera maximum Christianismi miraculum et summa probatio, eam esse divinam. Mariam venerari et profiteri, hoc est ipsum Christianismum in actu incarnationis profiteri. Est confessio, Jesum Christum esse hominem, quippe filium feminae; est confessio, Jesum esse Deum, quippe quod haec femina est mater Dei; est denique confessio, eum esse una Deum et hominem, quippe quod una solum nativitate hae duae naturae ad Christum effingendum conjunctae sunt. Praeterea, veneratio Mariae est veneratio Dei in spiritu et veritate, quia in nulla alia creatura adoratio in spiritu et veritate magis elucet quam in Maria.

Ille qui est sanctus, purus et sine peccato, genus humanum salvaturus eligere debuit vitam purissimam ad suam incarnationem. B. Virgo igitur non aliis entibus creatis comparari potest, quia Deus, eam solam dignam reputans quae incarnationem divinitatis in lucem profer-

ret, eam elevavit supra humanitatem, eamque circumdedit nimbo coelesti, multo magis splendente quam gloria omnium martyrum.

Quod si Jesum Christum solummodo tanquam hominem ordinarium reputamus, ideoque nec salvatorem neque mediatorem, Maria non supra alias feminas emerget. Sed si credimus in Jesum Christum Dei filium, hominum salvatorem et redemtorem, quod vere est, credere etiam debemus Mariam esse praecipue sanctificatam per Deum omnipotentem. Non possumus eam appellare pulchriori nomine quam Virginis, quia in hoc lapso mundo virginitas est pulcherrima flos innocentiae. Maria autem est sancta, pura et sine macula et tamen mater; ut mater Christi, hominis unâ et Dei, est uno eodemque tempore mater hominis et mater Dei. Hoc est magnum illud mysterium, quod humanum acumen nunquam penetrare valebit, sed quod tamen in sese continet refutationem rationalismi nostrorum temporum; probans enim Mariam esse conceptam sine peccato, Jesum etiam non solum hominem esse sine peccato conceptum, sed etiam vere Deum probat et demonstrat *).

Restat ut paucis de vita auctoris huius poëmatis afferamus. Nomen ei erat Eysteinn

*) Vid. Aug. Nicolas, la Sainte Vierge.

Ásgrimssuns (Augustinus fil. Ansgrimi); natus erat in Islandia c. a. D. 1310; et jam adolescens, ut videtur, monasterium de Thykkvabæ in Islandia australi, ordinis S. Augustini, intravit. Initio quidem propter juventutis exuberantiam non plane talem se exhibebat ut hominem, religiosam vitam amplexum, deceret, ita ut anno 1343 episcopo Sialotensi Johanni, viro severo, e re videretur eum una cum duobus aliis monachis in carcerem conjicere. Quae castigatio tamen non diu durasse videtur, et postea Gyrvo, qui Joanni illi anno 1351 successit, magno Eysteinum nostrum favore prosecutus est, ejusque opera saepe in rebus gerendis utebatur. Post aliquot autem annos etiam inter eos dissidium oriri coepit, neque tamen ut credere licet, sine ulla culpa episcopi, quoniam, quum ambo per biennium (1355—1357) in Norvegia moram fecerunt, Eysteino, non episcopo, contigit favorem metropolitani, Olavi, archiepiscopi Nidrosiensis sibi conciliare. Anno 1358 Eysteinus una cum Canonico Nidrosiensi ab archiepiscopo delegatus fuit ad Islandiam ut hanc terram nomine ejus visitaret. In hoc officio nimis superbum se gessisse perhibetur, quod episcopus aegerrime ferens Eysteino in multis rebus obstare studebat; ira commotus Eysteinus poëma irrisorium composuit contra episcopum. Postremo Eysteinus episcopum citavit ad respondendum sibi coram archiepiscopo, episcopus autem contra illum

excommunicationem fulminavit. Attamen anno post (1359) reconciliatio effecta est; Eysteinus confitebatur graviter sese in eo peccasse, quod satyram in episcopum confecisset, et ad hoc expiandum, poëma, quod hic lectori translatum tradimus, composuit, episcopus autem Eysteinum officialem suum constituit in quadrante Islandiae occidentali. Anno 1361 ambo ad Norvegiam profecti sunt; episcopus autem naufragio periit, Eysteinus, Norvegiae advectus monasterium S. Sedis., ord. S. Augustini, prope Nidrosiam, petiit, ubi sequenti anno, paullo ante festum paschatis, mortuus est.

LILIUM.

I.

Omnipotens Deus omnium ordinum,
dominator angelorum et gentium,
non indigus locorum nec temporum,
locum tenens in tranquillitatis imperio,
simul regnans foris et intus,
superne, inferne, et ibi in medio,
laus sit Tibi per ævum et ætatem,
unitas vera in ternis distinctionibus.

II.

Opto, ut Tua magna misericordia
mihi praebeatur, quam quaero
moerenti animo, nam desidero nihil
aliud bonum, quam abs Te, Domine!
Purum fac pectus, et deduc arte
laudantia verba metri legibus,
ut eleganter exarata laus fiat
deducta Vobis ab hoc ore.

III.

Oro Te, Virgo et mater,
in meo animo, ut Tuis auspiciis
profluat sermo de vocalibus instrumentis
dignus in versibus harmonicis (simplicibus),
clara et dulcia de nostris labiis
ut verba enata
tingantur omnia in rutilanti auro —
Deo deberem illa offerre.

IV.

Priores homines, qui scientias calluere
antiquas et sapientes, in suis libris,
elaboratas artificiose de suis regibus
cantaverunt laudes danicâ linguâ.
Tali materno sermone
magis obligor quam ullus eorum
devotum carmen cum amoris verbis
omnipotenti regi solvere.

V.

Creatio et generatio, baptismus et ornatus,
ratio plena, quæ melior est auro,
sanguis Christi de lateris vulnere,
remissio peccatorum, et quotidiana jucunditas,
excelsa spes caelestis beatitudinis,
miseria terrae infimorum domiciliorum,
jubent me referre
pulchra miracula dei operûm.

VI.

Dominus deus, qui omnibus est clarior,
caelum et terram in principio creavit,
ornavit id ter ternis,
hæc est recta fides mea, angelorum ordinibus;
prius erat tamen, æque ac exinde,
sufficiens sibi, quam creatura fuit;
fecit mundum et extendit tempus,
binos æquales, in suâ potestate.

VII.

Potens, qui cunctis præcellebat
naturâ et claritate suâ,
creatus bonus fulgebat magnificenter,
creatori proximus honore summo;
non bene erat contentus
angelus potestate, quam acceperat,
cum violentia occupare voluit
celsiorem sedem et dignitatem.

VIII.

Cupiit ferociâ aestuanti
similis fieri magnopere potenti
dei unigenito filio, sed exinde
sibi ipse sufficiens, nemini cedere.
Foetida superbia omnino est
imprudens, sicut scriptura testatur,
contra deum præpotentem
viribus certare; sed quomodo res se habebit?

IX.

Itá referri debet, eodem momento
quo angelus corrumpi coepit
submersus est unacum suis vicinis,
instar plumbei cumuli, in profundum terrae;
caecum invenit ibi patrem suum, diabolum,
immensa violentia quem cruciat igne;
stultus est is, qui patrem et filiam istam
amplecti cupit, et mores (bonos) corrumpere.

X.

Dies sex increscebant
volubiles circa Oceani zonam,
priusquam consequerentur integrum ornatum
terra et aër, quem Deus creaverat,
compressam aquam in caelum sublime,
glaciem et ignem, et signa stellarum,
grandinem et animalia, et pisces et aves,
pulchras fruges, et arbores florentes.

XI.

Mutabat Deus, et novum iniit modum,
sanguinem et carnem de aquâ et pulvere,
levem flatum de aethere proximo,
vitae calorem de solis regionibus;
animam quoque exin misit,
illa est intelligens Domini voluntatem,
viam sciens per corporis venas,
vita fulgens de Sancto spiritu.

XII.

Ille est prodiens homo de matris
pulvere, et tamen splendidâ carne (præditus),
Adam appellatus, qui omnia in mundo
in potestate habuit, in libertate et pace;
somnus fundebatur placidus super hunc
mundi rectorem, qui nactus est perspicax
ingenium, quam postea commonstravit
surgentibus prophetiae verbis.

XIII.

Educens de latere Adami
Evam mox, ut Moyses testatur,
habitaculum cum honore, potestate et amore
certe dedit iis Paradisi,
usque quo illi cum angelis,
hoc est gratia maxima! postea viverent
unacum progenie universâ ex iis nasciturâ
in aeternum, et gratias redderent.

XIV.

Sed ut meritum cognoscerent in terrâ,
quo promererentur caelorum gloriam,
praeceptum unicum clemens Dominus
iubet iis in officio observare:
pomo unico veto vesci
vobis ambobus, sed pro arbitrio agetis;
moriemini, si non observaveritis
simplex mandatum fide purâ.

XV.

Intumescit, turget, et aegre fert
angelus exilium, quo damnatus est,
si hominum turba, in terrâ prognata,
assequitur id habitaculum, quod amiserat;
sic miscens mortis faeces
latitabat a visu hominum
dolosus intus in quodam
serpente, et sic verba proferre coepit.

XVI.

Sic tentans Evam alloquitur:
„responde mihi statim: cur Dominus
suavissimum vobis fructum edere
interdixit, sed concessit tamen paéne omnia cetera?“
Sic factum est, Eva respondit
veluti vafer hostis præviderat:
„ne nos de tramitibus vitae
levitate praecipitemus in mortis plateas.“

XVII.

Facile invenit, ut lumina (ɔ : scriptura) testantur,
levitatem in responsorum vacillatione:
ergo ausus est ulterius tentare,
fraudibus imbutus, et loquitur dolose:
non tu et Adam moriemini,
pulchrâ faciè gaudentes, quamvis pomum comedatis,
multo magis cum honore et potentiâ
gloriosi et potentes Deitati assimilabimini.

XVIII.

Credula valde quia Eva credidit,
comedit fructum, sed amisit honorem,
et secum Adamum pellexit,
edit iste nunc id quod cognovit vetitum;
timuit, ne Eva irasceretur,
si negaret petitum facere.
Diabolus potuit sic principio occaecare
parentes nostros multâ fallaciâ.

XIX.

Punit eos justo judicio
potens Dominus ob infidelitatem talem
expulit eos de honoris sede
egenos et nudos in cruciatus et mortem.
Pererrabant miseri in misero mundo
per multas terras, ubi fere totum exinde
hominum genus cum gravibus peccatis
emissum est de Adami lumbis.

XX.

Acerbitas provenit, veluti radix de ramo,
emanabat tunc scelus ex uno in alterum;
fuit sic mundus per longum tempus
vitae expers, sed plenus leti.
Cessabat neque timor neque metus,
unum est tamen, quod maximo est detrimento
patens tartarus, plenus detestationum,
obtulit seipsum in cuiusque morte.

XXI.

Mundus mortuus est, quid est consilii?
Ubi invenitur, qui sibi ipsi subveniat?
Nuspiam, nam in peccatorum luto
vere unus alterum aggravat.
Unum exstat, quod affirmabo,
debeo lacrymans stare,
ut Tu ipse, potens Deus
subvenias hominibus, ut vivificentur.

XXII.

Data est vita, qualis dari potuit et licitum erat;
data est vita, quam Adam denegavit;
hæc gratia constituto tempore
mittebatur de divinâ manu,
ut lumen in mundum vivum veniret,
vivum certe, quod excruciatas animas
eriperet ex diabolorum foveâ;
gloria (ɔ: rex) angelorum hoc effecit.

XXIII.

Accenditur tota, et eloquenter loquitur
lingua mea de Domino suo;
de miraculis canere debet
eius qui amplectitur mundos tres.
Incurvatus et vulneratus in damnatione essem,
et in vinculo omnino infimi diaboli,
nisi salus Dei bona,
data terrae, me liberavisset.

XXIV.

Prope et procul intuitu perspicaci
ordinans omnia unacum Filio, et Spiritû
Patris persona angelo cuidam
negotium mandat, ille vero auscultat:
„Vola, et dic Mariae virgini
egregiae, quae mihi erit curae,
meum unicum filium carnem eius
obedientis velle candidam induere“.

XXV.

Mater nobis est Maria haec,
magnificus flos, plena decoris,
splendida tamquam rubra rosa,
crescens ad vivos latices.
Radix fragrans humilitatis,
flagrans tota castitatis spiritu,
Deum amans et bonos homines,
Deo similis in virtutibus talibus.

XXVI.

Nullam video terrestrem linguam,
celse stellarum regionum
Domine! Tibi quæ, ut dignum esset,
concinnare possit carmen (versum intercalarem)!
Sit Tibi gloria cum vero splendore,
cantata laus ab omnibus linguis,
in aeternum cum victoriâ et beatitudine,
honor et potestas Tua nunquam minuetur!

XXVII.

Ferebatur, superans pavonis splendorem
pictum (fulgurans) per firmamentum
Gabriel, instar radii solis,
laeto vultu in aëra inferiorem.
Legatus venit septemplicis Spiritûs,
sic est referendum, ad domum quandam;
vera virginitas consedit ibi,
ipsa castitas, gemma mulierum.

XXVIII.

Et deinde se convertit ad virginem dulcem:
„Maria, audi verba nostra,
celeberrima femina, Tibi fero Ave,
plena gratia de dulci fonte;
manu comprehendens suam creaturam
verus Dominus angelorum et hominum
habitat Tuum intra pectus purum,
benedicta virgo, Tu es feminis excelsior!"

XXIX.

Audivit et credidit, sed miratur verba
virgo tranquilla, quia novit prius
nunquam salutatum hominem in terrâ
tali honoris salutatione.
Prohibens eam timere
archangelus locutus est porro:
„Deus caelorum nasciturus est,
Domina clara! de carne Tuâ."

XXX.

Sciscitatur tunc, quomodo
Sibi obveniat laetitia haec,
munimentum ut disrumpatur nullibi
habitaculum servans castitatis virtutum?
Angelus respondit: non fore peccaturam
virginem almam, nam puerum condet
apta formatio sancti Spiritûs,
carnem et ossa de corpore puro.

XXXI.

Caeli omnes lumine implentur,
aquae et terra constiterunt, et admirantur,
afflicta ipsa ut paene satis
natura se non temperaret;
jungebatur anima divino numini,
bono induebatur Mariae sanguine,
laetae moratur in virginis visceribus
una persona ternae distinctionis.

XXXII.

Corda confiteantur, decidat et profluat
laetitiae fons de cuiusque hominis oculis,
semper gratias agens pro misericordiâ magnâ,
mi Domine, in Tuâ incarnatione!
Sit Tibi gloria cum vero splendore,
cantata laus ab omnibus linguis,
in aeternum cum victoriâ et beatitudine,
honor et potestas Tua nunquam minuetur!

XXXIII.

Quinque menses et quatuor post
natus est puer de virgine purâ,
perspicacissimum veluti quum per vitrum
radius vibrat coram oculis nostris;
splendet ibi sol, vitro integro:
jucunda proles ita fulgebat de matre,
sigillo salvo eius
castarum virginitatis virtutum.

XXXIV.

Nemo audivit, et nulla exstiterunt
talia nova, antehac vel postea;
simul erat virgo et mater,
hominem et Deum jussit fides nos credere;
caeli cantabant advenienti regi
inclytam laudem, ubi pastores agebant:
caelorum gloria est deflexa ad terram,
hic conjungebantur homines et angeli.

XXXV.

Nec tamen tam dives erat, ut fascias
regis mater possideret bonas,
quare rex rigido foeno
coopertus est, ut effugeret frigus.
Circumcisionis Jesu solennitatem
octavus dies a generatione eius testatur;
aestuat sanguis per corpus candidum,
defluunt notabiles lacrymae de genis.

XXXVI.

Decimo tertio die ad Dominum
illustres viri, qui regna gubernabant
in Oriente, cum oblationibus veniebant,
ut infantem sic honorarent.
Elapsâ sexies
sex et quatuor dierum epochâ
offerri exoptavit pro nobis
Jesus ipse sub templi arcubus.

XXXVII.

Nobis consecratus est, quum aquâ irroraretur
gubernator caelorum tricenarius;
Jordanis apud latices puros
Johannes Baptista Domino ministrat.
Hic intimus amicus Jesu Christi
est nunc testis, eodem die
communiter fulgentem in viridi campo
Dei Trinitatem hominibus innotuisse.

XXXVIII.

Comperior, omnem intellectum hominum
deficere, quando celebrare debet
potentiam Tuam, clemens Domine,
maior est ea quam omnia alia.
Sit Tibi gloria cum vero splendore,
cantata laus ab omnibus linguis,
in aeternum cum victoriâ et beatitudine,
honor et potestas Tua nunquam minuetur

XXXIX.

Mirari coepit vetus ille hostis
natum hominem, sed intelligere vetitum erat,
et ei erat simile, quasi spiritus protulerit
verba haec de linguâ olim:
„videtur mihi novum quoddam
appropinquare mundum et genus hominum;
aliquid subtile Dominus excogitabit,
occulitur id mihi; clam fit."

XL.

„Jesum honorant angelorum chori
superne, inferne, in mundo tertio,
stellarum lumina et allatae oblationes,
pacis vinculum in quâcumque terrâ;
haec augent mihi dolorem
vera miracula, exhibita apud homines;
anxius sum, eius robur consiliorum
mihi constricturum fore utrumque latus."

XLI.

„Paternum genus eius credo paucos inventuros,
sed reperitur maternum genus hic inter homines,
nam modus Jesu generationis est
mirus, ut vix eum intelligam.
Non mihi hic placet,
ita se gerit hicce juvenis;
nunquam erat is prius in terrâ
natus homo, quem magnopere metuerim."

XLII.

„Sitiens est, et pallidus jejunio,
vitat risum, sed potest lacrymare,
defatigatur, et est matris sui
lacte nutritus, sed fasciis involutus.
Intelligo tamen, hoc veram
ipsam naturam humanitatem testari;
cupio ergo protrudere
spiculum scelerum in eius perniciem.“

XLIII.

„Mihi videtur, multo celsiore loco,
apud inclytum Deum, Adamum sedisse,
antequam seducerem illum et Evam, ambo
honore privatos, in tenebras et mortem;
certum est, pauci sibi cavent a dolis,
sic etiam eveniet Jesu huic;
quare audeo fortiter tentare;
olim astutus fui.“

XLIV.

Fili Mariae! Fili clare!
Fili admirabilis Dei et eius!
Doce me evitare diabolum
vafrum, sed Te amare,
Sit Tibi gloria cum vero splendore,
cantata laus ab omnibus linguis,
in aeternum cum victoriâ et beatitudine,
honor et potestas Tua nunquam minuetur!

XLV.

Accepi id, quod tentaverit Dominum
jejunio afflictum, variis delictis
diaboli astutia, quae quemcunque se credebat
dolorum gnàra in peccatum seducturam.
Sed dolorum artificis, in complicatis funibus
contorta saepe invertebantur in aëre
tela omnia, astutiae pleni
hostis pectus (ipsius) transfigebant.

XLVI.

Exinde cari Christi
doctrina coepit per regionem emanare,
vitae ministrantes discipulos
quaerit, invenit, et simul praebet
caecis, debilibus, mutis, surdis,
mortuis, contusis, dementibus, claudis,
oculorum sanationem, vocem, audire,
animae vigorem, rationem, stare.

XLVII.

Hoc videt diabolus, diminui
subditos suos, id (ei) visum est malum;
exempla bona crescunt passim,
peiores doli et vitia imminuuntur.
Daemon afflictus minime tulit
hoc certamen, quum durum sentit;
quare incitans (est) suas cohortes
peccatorum demolitorem occidere quam primum.

XLVIII.

Improbum mediastinum in turpia consilia
pellicit, is est Jesu asseclarum,
archisicarius, in (ipsius) satellitio
Judas appellatus, qui mala meditatus est;
clementem Dominum argento vendidit
genti, quae Judaica nominatur,
plenae crudelitatis bilis;
rugiebat insolentia in eius pectore.

XLIX.

Avidi cucurrerunt, et invenerunt Jesum,
inventum exagitaverunt, verberaverunt et ligaverunt,
ligatum abduxerunt, sed gentiles deriserunt,
derisum, delatum flagellaverunt denudatum;
diaboli progenies arctâ spinâ
haec circumdat benedictam frontem;
hi affigunt Christum cruci,
et trudunt ferrum, ita ut exsiliret sanguis.

L.

Oporteret nos Jesum Dominum
indubitanter plenâ fiduciâ
ex cordis intimis penetralibus
omnes una lacrymantes invocare:
Sit Tibi gloria cum vero splendore,
cantata laus ab omnibus linguis,
in aeternum cum victoriâ et beatitudine,
honor et potestas Tua nunquam minuetur!

LI.

Summe magister omnium virtutum,
O Jesu bone, qui vitam donas hominibus,
da mihi temperare et dirigere
verba, ut poëma dignum lingua concinnet.
In aeternum, elevatis manibus
laudes eloquens in utrumque genu
creatura omnis debet procidere,
Creator mi! coram facie Tuâ!

LII.

Sunt notanda exempla:
summus dominator angelorum et hominum
inflexit nunc collum, et cessit
cuivis servo, qui cupivit (eum) verberare.
Pauca loquens, humilis,
tenerâ voce, facie pulchrâ,
ita offerens (erat) in acerbam mortem
suam animam ob necessitatem meam.

LIII.

Conspuentes tunc capita quassabant
(tam) gentiles quam Judaei improbi;
plerique deseruerunt Christum
asseclae in tempestate hac.
Commemorare me oportet, nec aliud fas est,
Matrem Dei, quae lacrymas effudit;
forsitan et meorum dolorum
meminisse placeat ei aliquando.

LIV.

Caput reginarum, luctu turgida,
incurva et nutans, tremuit prae moerore;
appropinquavit, quum delabebatur de vulneribus
fluminis instar sanguis per crucem.
Intumescit pectus, sed cor contremit;
caro est emollita, sed anima singultivit;
oculi coeperunt mergi vehementer
moerentes et afflicti lacrymarum inundatione.

LV.

Vox angeli feminam salutavit;
salutatam ab angelo Dominus laetificavit;
laetata est virgo, quum patrem*) partu edidit;
partu editum puerum fasciis induit;
indutum secum saepe duxit;
ductus a matre brachia expandit;
expansus in crucem homines sanavit;
sanavit nos, quum mortis certamen (eum) pressit.

LVI.

Tamen lacrymavit illa nunc acerbo luctû,
gladio (doloris) transfixa pectus et humeros;
suam unicam prolem, ipsum Dominum,
vidit pendentem clavis pungi;
lacerti urebantur exacuatis spiculis,
pectus erat fessum; hoc modo
sauciabantur tam filius quam mater
vere sancti, in sanationem hominum.

---

*) ɔ : futuri saeculi (Isaï.)

LVII.

Per Mariae sinum venerandum,
per Mariae fletum acerbum,
fac me Tuae redemptionis fructum percipere,
immortalis Deus cum Patre et Spiritû!
In aeternum, elevatis manibus
laudes eloquens in utrumque genu
creatura omnis debet procidere,
Creator mi! coram facie Tuâ!

LVIII.

Filio Mariae nigri adferunt
homines mixtum fel faecibus;
atrocissimam contumeliam et plurimos cruciatus
excogitaverunt, sed mundus ingemuit.
Pallescit cutis, ct contrahitur in fronte,
rariora fiunt verba, sed deficiunt vires;
anima emigravit de Jesu excarnificato,
summo Domino caeli et terrarum.

LIX.

Vera loquor, nemo deberet
sine lacrymis labia movere,
mi Jesu, quum scripturam legeret
cor emollitus, de passione Tuâ;
nam natura ingemebat prae terrore
tota contremens, sed caeli ipsi
privabantur luce, quum nudus constringebaris;
movebatur terra in Tuâ morte.

LX.

Sed in obitu Jesu dulcissimi
accepimus, quod furtim conspexerit in crucem
diabolus, investigaturus peccata,
occasionis vigilantissimus, si quae exstiterint.
Gaudeo hic allectam iri
eius curiositatem in propriam sui contumeliam;
nunc non serpens incurvus
escam glutiens, in hamo laetabitur.

LXI.

Cunctae inferni ferreae portae contremunt,
mirantur tenebrae quod lumen sit validius (ipsis)
currunt diaboli, et effugere conantur,
portenta dicebant advenire.
Timor pervolavit inferni regiones;
sanctos homines, quos catenae premunt,
coactus est hostis dimittere,
contusus et laesus, ut potestas imperavit.

LXII.

Quid novi? salvantur homines.
Cur nunc? quia voluit Jesus pati.
Quid novi? pulsus est diabolus.
Quis vicit? creator hominum.
Quid novi? sancti deducuntur.
In qualem beatitudinem? gloriae sedem.
Quid novi? caeli offeruntur.
Quibusnam? nobis, qui celebramus crucem.

LXIII.

Benedicta lux, dulcis Jesu,
vere vivificator mortuorum,
eripe me de diabolorum habitaculis,
Domine clemens! et retine me postea!
In æternum, elevatis manibus
laudes eloquens in utrumque genu
creatura omnis debet procidere,
Creator mi! coram facie Tuâ!

LXIV.

Video neminem, qui possit eloqui,
eloquentiae quamvis tentamen facere voluerit,
omnem laetitiam, quam percepit largiter
senex Adam in Jesu adventu;
ipse is solus enim innodavit miseriâ
progeniem suam omnem mortis cruciatui;
sed nunc redemit totam ab exilio
unus eius filius, et misericordiam praestitit.

LXV.

Cur studuisti, vetus hostis,
infamis, Jesu mortem?
An videbaris tibi tu (ei) major potentiâ?
Potestas eius tamen divinitatem testatur.
An putabas corpus (eius) fictionem?
Corpus assumsit ille virginis augustae,
immeritum quem flagellabant homines,
sine omni labe, nihil deliquit.

LXVI.

Tu condemnasti miseram Evam,
et Evae maritum, ob pomum vetitum,
(homo maledictus per omnes generationes!),
progenies (eius) Christum hastâ transfixit.
Christus te tamen deprehendit primo,
primi doli et homicidii sitientem;
ille sceleris gladius incurvus
retorquebatur in tua rostra.

LXVII.

Exinde resurrexit (Christus) victor a mortuis
die solis, et notam fecit
suam immortalitatem multis hominibus
ipsa clementia, quamvis mori voluerat.
Duo transfluxerunt bis
decem dierum cursus lenes,
priusquam super caelorum excelsa
elevavit sanguinem, quem a matre assumserat.

LXVIII.

Præterlapsis septies
septem diebus et insuper uno
huc misit sanctum Spiritum
integerrimae vitae discipulis.
Augustus ad manum dexteram
ille considet Dei in gloriâ verâ,
sua extendens brachia alma
homines invitat ad caelorum gloriam.

LXIX.

Fili Mariae, per misericordiam (Tuam) summam
hominis naturam et corpus verum
agnosce, ut clemens meminerit
mei Dominus in regno suo.
In aeternum, elevatis manibus
laudes eloquens in utrumque genu
creatura omnis debet procidere,
Creator mi! coram facie Tuâ!

LXX.

Adhuc veniet alterâ vice
omnipotens rex, ad retribuendum
hominibus mercedem eorum factorum,
honoris largus, in extremo judicio.
Ita furet tunc ignis et aestuabit
per terram et montes in orbe universo,
ut nihil reperiatur usque ad nubes
non combustum, et in abyssum.

LXXI.

Resurgentibus omnium terrarum
incolis, ad judicium triste,
Jesus tunc vulnera monstrabit
dolorem moventia, et passionis instrumenta.
Verba, cogitationes et omnia facta
perscrutanda sunt omnium et singulorum,
nec fient exsecrationes nec juramenta,
excludentur tam dona quam corruptiones.

LXXII.

Nemo invenietur in hoc foro
rixosus, nec callidae defensionis
verborum sonus, ubi in Domini judicio
dividentur homines in binas classes.
Alteram cohortem cum summo honore
evehet longe supra sphaeras superiores;
sed praecipitabit miseriâ et ejulatu
alteram in diabolum (infernum) medium.

LXXIII.

Depulsi in mortis submersionem
enecati homines, qui ibi debent ardere,
frendent dentes in foetore et gelu,
diaboli circum cadavera stant;
probra et cavillationes commissorum scelerum,
saeviens dolor in tenebris et terrore,
nulla est spes nisi cruciatuum,
aeterna miseria, sed viva mors.

LXXIV.

Haec contra inveniet laetitiam
hominum quilibet, ad suam gloriam
quem Dominus invitaverit cum summo honore,
domum deducti quippe fiunt homines
juvenes, laeti, liberi, formosi,
agiles, pollentes, sapientes, splendidi;
festum solenne per omnia saecula
saeculorum iis cum gloria celebrabitur.

LXXV.

Lacrymae pluant, sed lingua conticeat,
deficiat sermo, sed egena anima
se torqueat vehementer, et corpus concutiat;
oro metuens: miserere mei, Domine!
In aeternum, elevatis manibus
laudes eloquens in utrumque genu
creatura omnis debet procidere,
Creator mi! coram facie Tuâ!

LXXVI.

Duo timeo: judicium et mortem;
moriuntur multi, quibus nemo fert auxilium;
meam scio vitam turpem
deducturam me in Domini iram.
In multiplici peccatorum contaminatione
uritur pectus, et vindictam timet
ob transgressionem plurimarum virtutum;
pauca sunt bona, quae mores (bonos) testentur.

LXXVII.

Tempestuosa (meum) miserum spiritum
(et) mala violentia prostravit,
lividus et deformis invidiae veneno
semper paene suffocatus fui.
Irae bilis, urentibus ulceribus,
furit mihi per inflammata viscera;
tristitia eripit e cordis radicibus
validum robur in moeroris tenebris.

LXXVIIII.

Infigitur saepe in nimbo vitiorum
gelu avaritiae in meo pectore;
voracitas interimit (me) sceleribus crebris,
infodit se hic (ɔ : in pectus) harpagone firmo.
Horribilem in modum caecâ conniventiâ
decipitur caro in mortis contaminationem;
contristatus ex his, deberem nunquam
securus esse, quamvis misericordia consoletur.

LXXIX.

Condona mihi, pater dulcis!
condona mihi, deplorare volo
verba, cogitationes et mala facta
suppliciter, et effugere mortem.
Ergo lugeo nunc Tuos ad pedes,
afflictus et excruciatus molestiâ dictâ;
emollitus et pavidus me indigum agnosco
Tuae clementiae in aerumnâ meâ.

LXXX.

Tantopere cupio, o dulcis Jesu,
peccatorum remissionem, ut eorum imagines
videantur mihi, ac si jaceat turgens
serpentis venenum circum cor intus.
Mitte huc mihi septemplicis Spiritûs
verum donum, quod liberet a malo
meam animam, ut serviam,
Mariae flos, coram Tuâ maiestate.

LXXXI.

Ne dimittas unquam me, o Christe,
vitiorum venti in procellarum impetu;
castiga meum, et doma quam sæpissime
accensum pectus, clementiae virgâ;
ut lacrymans lubens ad pedes,
pater serenissime, procumbam Tuos,
quâcunque vice frigus persensero
in damnoso scelerum gelu.

LXXXII.

Oro nunc per Mariae matris
blandam orationem et facundam intercessionem,
fretus, Jesu Christe,
vestrâ indulgentiâ, quae perditis suffecit:
affige me, antequam irruat mors,
Domine mi, cruciatibus et morbis,
ut eo minus exinde
dilacerer diaboli hamo acuto.

LXXXIII.

Vita ipsa! finitâ vitâ (meâ)
libera me a damnatione per poenitentiam veram,
oleo unctus fac ut fiam
agnoscens clementiam hanc.
Purissimum concede cordi meo
corpus et sanguinem, quae a matre assumpsisti,
jucundissimum viaticum,
quum liberatur anima corporis vinculis.

LXXXIV.

Timeo, ne acerbe doleat
conscientiae regio funditus,
tota dilacerata, quum peccata reclamant
suam possessionem ad cor meum.
Nigricantia tum diabolorum agmina
appropinquabunt clamore et accusatione,
parati ad me comburendum et excruciandum,
mordendum, dilacerandum, comprimendum, discerpendum.

LXXXV.

An tu hoc, gloriose Domine,
cohortibus diabolicis concedes,
meam animam ut laedant et excruciant,
Mariae proles, aut auxilium denegabis?
Calido et rubro cordis (Tui) sanguine
illam redemisti, quare mihi licebit confidere,
Jesu, tuo amore in homines,
qui omnes invitavit ad vitam a morte.

LXXXVI.

Audi me nunc, caeli et terrae
excelsum habitaculum omnium virtutum,
summa regina hominum et angelorum,
mater Dei, et benedictio gentium!
Quum laboro gravibus malis,
praesens sis meae animae,
involve (eam) eximio tutelae gremio,
spes mea vera, quae succurris hominibus!

LXXXVII.

Maria, exprime lac de uberibus,
meà regina, coram filio Tuo!
Cruenta patri monstra vulnera,
fili Mariae, quem clavi secabant!
Spero, vestro servo
nullum cruciatum dominaturum diu,
misericordiae quum mitissima fluunt
signa haec per caeleste regnum.

LXXXVIII.

Consiste, quae peperisti Dominum,
coram fulgente filio Tuo,
misericordiam roga ut mitem inveniat
homo quisque, sed scelera deficiant.
Quum profers de almis labiis
intercessionem pro Christianis animis,
Maria, Jesu mater augustissima,
memento, ne ego excipiar!

LXXXIX.

Tu es amanda unica mulierum,
optima ob humilitatem (Tuam),
deleniens hominum peccata,
benedicta virgo, Tu es angelis sublimior!
Tu es incalescens Spiritu sancto
aula, ornata virtutibus omnibus,
non agnoscens, libera a peccatis,
virium laborem, nec vitium ullum!

XC.

Tu es castitatis alma columba,
filia Dei, sanatio morborum,
felicitatis via, radius caelorum,
gemma sponsarum, regina caelorum,
Dei domus, oblivio aerumnarum,
gaudii cupediae, demolitio vitiorum,
clementiae vena, recreatio gentium,
celebrata virgo, Tu es angelis sublimior!

XCI.

Maria, Tu es mater serenissima!
Maria, Tu vivis, decus temporum!
Maria, Tu es ob misericordiam carissima!
Maria, leva peccatorum periculum!
Maria, aspice clades nostras!
Maria, aspice moestas lacrymas!
Maria, medere malis magnis!
Maria, immitte unguenta vulneribus!

XCII.

Dulce loquens quamvis quidam hominum
verbis conatus fuerit pangendo concinnare
lepidum poëma, ut par est,
mea regina, de laudibus Tuis:
foret simile, ac cespitaret vel titubaret,
errans homo, nunc ad hunc, nunc ad illum parietem,
prostratus et inclusus, nec tamen egrederetur
(quamvis) cupidus de labyrintho.

XCIII.

Quamvis converterentur arte cunctorum mortalium
caro et ossa in meras linguas,
ventus, fulgur et virides campi,
herbae fragrantes, pulvis et arena,
grando et nix, et plumae avium,
pisces, animalia, et saltus et paludes,
linum et grana, et serenae stellae,
squamae et lana, et guttae et scintillae,

XCIV.

Arbores et saxa, et urbes et plateae,
fides (chordae), caeli, aër et angeli,
vermium genus et agri albicantes,
gramina, metalla et frondosae palmae:
momentum (per unum) quamvi non tacerent,
omnes (ɔ: hae linguae) vetustate essent
detritae, priusquam Mariae gloria
celebrata esset dignis laudibus.

XCV.

Maria, esto meo in corde,
clementia ipsa, nam maxime opto,
Benedicta, Tibi, si plus valerem,
excellentissimum hymnum persolvere.
Laudantia verba, in carmen redacta,
de jucundâ matre Christi,
nemo poterit ulterius amplificare (quam):
solus Dominus Mariae sanctior.

XCVI.

O crucifixa vis celsissima,
Christe, quem quatuor clavi transfixerunt,
Tibi offero et Tuae matri
hoc opus, quod in unum locum (ↄ: carmen) redegi,
Tunc facite, ut horum fructum percipiam
arctè ligatorum carminis verborum,
cum Vos videbitis mei maxime referre
ut anima mea effugiat cruciatum.

XCVII.

Gaudete nunc, hominum turmae,
spero, quod in carminis modo
vos ignoscatis, quamvis opus hocce
elaboraverim minus, quam dignum visum fuerit.
Maxime refert, ut cuiusvis sermonis
fundamentum rectum eligatur,
obscura quamvis Eddae regula
exceptiones faciat interdum.

XCVIII.

Qui metrum difficile eligit,
eligit multa, in carmine promenda,
obscura veterum verba, ut vix possint numerari,
quod mihi videtur intellectum impedire.
Sed hic facile clara verba intelligi possunt,
percipiant gentes meam voluntatem,
orationem simplicem benevole exhibitam;
volo, ut carmen appelletur *Lilium*,

XCIX.

Ex vero amore, et sincero corde,
pro meâ suaque propriâ salute rite
dicat Mariae quivis auditor
eius versum (ɔ: laudem) in hoc poëmate (exaratum)
Forsitan tunc virgo meminerit
mei, quamvis affligar cruciatibus;
id est mea spes, de labiis
praesertim si resonet: *Dominus tecum!*

C.

Omnipotens Deus omnium ordinum,
dominator angelorum et gentium,
nec indigus locorum nec temporum,
locum tenens in tranquillitatis imperio;
simul regnans foris et intus,
supernè, infernè, et ibi in medio,
laus sit Tibi per aevum et aetatem,
unitas vera in ternis distinctionibus!

Typis Congregationis Mechitharisticae.